nolo ægre feras chariorem esse mihi toto poemate, nimis
accurate servans, inter chartas amisi. Credidi me hanc
quoque una cum Carmine vander Burghio tradidisse.
At ille fidem ipsam testatur, nihil se præter alterum
accepisse, ut jam quo devenerint cætera, non si moriun-
dum sit, indicare valeam. Itaque si inter adversaria
hæc servasti, omni me hercule puncto digna, et longè
versibus ~~ad~~ anteferenda, quæso non pigeat iterum
ad me transmittere. curabo ut cum optimis quoque
communicentur, et laudem referas quam luculentissimè
meruisti. In Carmine quantumvis tuo eleganti et
erudito, sunt quæ mecum vander Burghius existimat
citra offensam aulæ ægrè admissum iri. Cæterum deo
volente amplius me explicabo, nunc aliunde oppressis-
simo non vacat. Vale vir Doctissime, et hanc non
fucatæ amicitiæ libertatem boni consule. Rationem
aliquando reddam quam certò novi, a te non iri
improbatum. Ad Sylvam Ducis 26. Julii 1629.

Heinsio. (105)

Non oblivisci te mei, Nobilissime Heinsi, neque ejus
quem erga te perpetui ~~animi~~ amoris et observantiæ
affectum servo, nullâ re certius testari possis, quam
cum alijs impertiri ea me officia jubes, quæ tibi a me
deberi statuis, nec falsò nec immeritò. Saxones tuos
quibus, cum maximè tuâ gratiâ vellem, nihil hîc
operæ præstare valeo, quâ commendationis tuæ
pretium agnoscant, eâdem hodiè verborum vanitate
excepi. Fietque id tantisper Mi Heinsi, quousque
occasionem obtuleris, quâ reverâ et sedulò præsentias,
quam mereri avidissime ~~vellem~~ velim amicitiæ
illius præmium, quo me immeritum hactenus is
prosecutum. Pollicitus his sum tamen fore, ut me
Ductore ad Illustrissimum Principem admittantur,
neque adhuc certus sum satis, tantillam rem, quam
brevi effectam sim daturus. Adeo nihil Imperatore
nostro occupatius in his castris, ubi ad privata
privato vix ulli vacat. Quidcumque a me relaturi
sint

sint, cave dubites studio meo aut promptitudini quidquam defuisse, vel si te amore mutuo inter nos certandum sit, ullâ in parte me cessurum tibi, quem tamen quam optime mihi cupere affectuque non vulgari, si aliunde nescirem, abundè nuper ab Elzeviriis didici. dum adsidentibus sese amicissimam a te mei mentionem factam, non siccis argumentis indicarent. Quæso vero Te vir Nobilissime, qui mihi in animo et oculis continenter obversaris, quando nec inter pocula memoriam Hugenii deponis, ejusdem ~~iactaras~~ inter Musas et libros quam sæpissime recorderis, ut intelligere possim nonnunquam quibus nunc ~~in~~ rebus condire præsentes, posteritatem verò totam demereri æternus autor pares. Nihil inter has aulæ, castrorumque duplicem tumultum gratius accidere possit mihi, qui te ex animo valere cupio, et nos amare. Ad Sylvam Ducis. 8. Augusti 1629.

(106)

Barlæo.

Magnâ et mirabili fortitudine violentas tibi manus intulisse, mi Barlæe, et quum pro jure amicitiæ fuerint, qui monere paulisper aberrantem ausi sint, tu sapere audendo bis te laudabilem et amicis, et iniquissimo cuique Lectori præstitisti. Præclarè olim de lucubrationibus suis Quintilianus, cujus, cum hic ad manum non sit, nescio an ipsa verba satis ex fide recensebo. Dabam inquit, iis otium, ut refrigerato inuentionis amore diligentius repetitas tamquam lector perpenderem. iisdem Te secundis curis, dici non potest quantoperè tibi nuper consulueris; me verò devinxeris famæ et existimationis Tuæ studiosissimum amatorem. Tum plane diuinasse videris, quâ te parte castigatione tuâ dignum amici judicabamus, Cujus rei nisi te privatim Burghius admonuit, miror sanè qui tam exactè animi nostri sententias conjecturâ tetigeris. Laudo verò Te, et egregium amici candorem exosculor: quo factum scito, ut jam me administrante in ore manuque procerum cæterorumque bonorum omnium summâ cujusque cum voluptate versatus sis. Nec si quid otij suppetat gravabor interpretem me tibi dare quo saltem Gallico sermone particeps Princeps meus fiat.

orationi nedùm